

stantia, situ & figurâ cùm plurima extent Anatomicorum scripta, hîc dicere supersedebimus, lectoremque benevolum ad eadem remittimus.

Pertinet hûc meritô quæstio : *An* conatus in partu utero sint proprii; *an* verò fœtui adscribendi; *an* tandem fœtui & utero simul? *Roder. à Castro. de nat. mul. lib. 4. cap. 1. p. 170.* ait: Partûs aëtio est partim uteri, partim verò ipsius fœtûs; uteri quidem, quoniam ille offensus gravitate adauerti fœtûs & excrementorum redundantia propriâ vi expultrice fœtum in lucem ejicit; Fœtûs verò, tûm quòd auctior satis alimenti à matre non accipit, tûm quòd plus calidi nativi jam habens, magis refrigerari postulat. *Helmont. Tr. de conceptis. §. 17. p. 573.* contrarius esse videtur, dum scribit: Defunctâ parturiente uterum post multas quandoque horas fœtum expellere, sicque soli utero, potestatem fœtum egerendi adscribit, quod tamen minus videtur probabile. Cur enim fœtus mortuus tam difficili conamine excluditur, ut sœpè armatâ manu exscindi debeat, si uteri solius operâ fœtus excutitur? Deinde si mortuâ puerperâ fœtus exit, non tam fit uteri, quâm potius fœtûs viventis & matris obitum sentientis conatu, cuius tamen exempla rariora prostant, & ut plurimum Anatomici seu Medici, rebus sic stantibus, requiratur manus, & partûs cæsarei administratio. Patet igitur uterum & fœtum esse tanquam causas socias, quæ pro unâ stare solent, sicque altera absque altera scopum non attingere potest.

*Subjectum* verò *adequatum* seu secundarium non abs re statuimus partes utero vicinas ipsicß adjacentes, ligamenta lata & rotunda; imò & alias abdominis partes, quæ in consensum facile, affecto essentialiter utero, trahuntur. Videmus enim puerperas nauseâ, vomitu, flatibus, alvi depositione aliisque vexari symptomatibus, nulla alia ex causâ, quâm nervorum paris sexti propagine.

### §. VI.

Inter causas primum locum sibi vendicat *Causa immedia-*  
*ta*, estque stimulus ille facultatis expultricis, à lochiis vitiatis de-  
pen-